

Gd. 62.



SCHEDIASMA TERTIUM  
DE VITA  
ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORUM,

A. MCCXCIV. USQUE AD BELLUM THURINGICUM

---

QUO  
AD L U S T R A T I O N E M  
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S E M  
A U T U M N A L E M,

D. IX. MENSIS SEPTEMBRIS, A. R. S. cIo Io cc LXXVI.

INSTITUENDAM,  
PATRONOS, FAUTORES,  
ATQUE  
AMICOS LITTERARUM,  
QUA PAR EST OBSERVANTIA ATQUE HUMANITATE

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,  
GYMNASII RECTOR.

---

WISBADII,  
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.

SCHEIDUNG TERTIUM

DE VITA

ADOLPHI WASSOWII  
REGIS ROMANORUM

A. M. CCXIV. REGIS AB ANNO TERTIUM

AD LUSTRACIONEM

GYMNASII AD STEINEN S. M.

ANNO 1811

IN EXCELSIS STEINEN, A. R. S. C. S. C. S. C. S. C.

INSTITUTIONE

PATRONOS ET AUTORES

ATQUE

AMICOS LITTERARUM,

QUA RITE EST OBSERVANDA ATQUE HUMANITATE

INVITAT

JOH. PETR. WAGNER,

GYMNASII RECTOR.

WISB AD II

LEONHARDUS JOH. SCHIRMER, AUL. ET REGIUM THEOLOGORUM



ACTA REGIS A. MCCXCIV.



Quantum cum Imperio Romano negotii sustinuerit *Adolphus*, juxta mecum omnes intelligunt. Jura Imperii conservare, amissa restituere, fœdera facere, exercitus parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque cives: domi militiæque imperium atque judicium summum habere; & ea agere inter invidos, occursantes, factiosos, opinione asperius est.

Jam quidem post tot belli labores in *Alsatia* Superiori anno exantlatos, novus annus novas spes donaturus, novaque lætitia, inter pacis fructus, animum *Adolphi* perfusus, videbatur: Sed paulo post ille novis quibusdam rebus intentus, subibat tempestatem, in dies sæviorem, ut, dum viveret, eam neque consilio, neque opera depellere posset.

Quum vero alia hujusmodi sint, ut ad eorum rationem explicandam literæ publicæ desiderentur, alia, quæ memoriæ prodita sunt, suspicionem præbeant, scriptores illorum cœvos vel ignorantia futiles, vel studio partium

tium esse impeditos: æqui lectores non mirabuntur, si multa hoc anno ab *Adolpho* aliisque gesta, obscuriora, illaque minus claris argumentis lucrere possint.

Igitur *Landavia*, ubi, rebus in *Alfatia* confectis, Regem supra reliquimus, ille *Oppenheimium*, oppidum tum Imperiale, profectus est: cujus rei varia hoc loco data litteræ testes esse possunt. Hic enim die VII. Jan. Ecclesiæ divi Martini, quæ fuit *Wormatiæ* suam pollicebatur tutelam. (a)

Die XII. Jan. in eodem oppido *Arnoldo Comiti Lollensi & Joanni de Bruch* dedit negotium, ut *Jolantham de Stein*, Abbatissam *Nwigelle*, Regis nomine in clientelam Imperii reciperent. (b)

Die XVII. Jan. eodem loco *Monasterio* hospitali Sanctæ Mariæ, quod *Luttre*, oppido Imperiali, florebat, benevolentia & fidei pignora dedit: (c)

Neque inter hæc negotia, *Oppenheimii* confecta, terrarum suarum *Nassovicarum* erat immemor: quod ex pactione hoc tempore cum *Episcopo Wormatiensi* d. XVII. Jan. conflata facile cognoscitur. Quo jure *Ecclesia Wormatiensis* illa ætate quadam bona apud castrum *Weilburg* possederit, in medio relinquo. Certe illa majoribus *Adolphi* pro quingentis & quinquaginta marcis argenti pignori erant data, excepto jure patronatus, quod *Wormatiensis Ecclesia* sibi integrum reservaverat. Jam vero *Nassovius* cum *Wormatiensibus* egit, ut illæ possessiones sibi suisque filiis jure emtionis traderentur. Conveniunt inter se, ut *Adolphus* summæ quingentarum & quinquaginta marcarum argenti, pro quibus ea bona *Nassovius* erant pignori data, CCCC. libras *Hallensium* superadderet, jure venditionis bona possideret, jus vero patronatus in iis locis, quibus antea, *Wormatiensibus* relinqueretur. (d)

Quibus igitur *Oppenheimii* patris, Rex inde *Francofurtum* divertisse videtur: in qua urbe d. X. Febr. Oppidi *Gelnhusii* privilegia a divinis Imperatoribus accepta, auctoritate sua confirmabat. (e)

Ille vero ubi reliquis Februarii diebus, ubi in sequente Martio se tenuerit, quid egerit, nulla adferri possunt indicia.

Post longum spatium interpositum, d. IV. Aprilis demum nobis is occurrit *Mergentheimii*, quod ex quodam negotio, ad *Abbatiam Fuldensensem* spectante, facile est intellectum. Hæc enim superiori tempore, male gerendo negotia, in tantum aes alienum inciderat, ut in magna inopia & indi-

(a) Schannati Hist. Wormat. p. 136.

(b) *Butkens Trophées de Brabant*. In ipsa tabula *Adolphus Arnoldum consanguineum*, & *Joannem de Bruch Affinem suum* appellat.

(c) *Schannat* Cod. ad Hist. Wormat. p. 151.

(d) Idem p. 152.

(e) *Renovation und Confirmation der Stadt Gelnhausen Privilegien*. p. 9.

gentia versaretur, ex qua emergere difficillimum fuit. Quibus rebus impulsus Rex *Rudolphus*, Abbate *Berthoo IV. Eberhardum* Comitem Catimelibocensem, in sex annos praefecit Abbatiae, eo quidem consilio, ut possessiones illius prudenter administrando, ea suo aere alieno commodius liberaretur. (f)

Post obitum *Berthoi IV. Henricus V.* Comes Vilmavienfis hanc *Abbatiam* obtinuit, qui pro vetere consuetudine *Adolpho* nostro horum bonorum administrationem in biennium ultero tradebat. *Adolphus* autem, qui se majoribus rebus districtum videbat, exemplum *Rudolphi* secutus *Mergenthemii* d. IV. Aprilis *Ulricum*, Comitem Hanoviensem horum bonorum in biennium constituebat gubernatorem. (g) Nec quidquam jucundius *Henrico* accidere potuit, cum ille filius fororis *Ulrici*, in quadam controversia cum *Adolpho* nostro componenda, hujus consanguinei opera superiori tempore fuisset usus. (h)

G 3

Ex

(f) Schannati Hist. Fuld. T. I. P. III. p. 206. seq. coll. T. II. n. 99. p. 210. seq. Idem negotium est documentum, quantum Regis *Rudolphi* gratiam tenuerit *Eberhardus*, qui reginae *Imagine* erat avunculus. Conf. Schediasma I. p. 10.

(g) Untersuchung der Frage: ob die Ritterschaft in specie die von Carben mit Grafen und Herrn in eine Vergleichung zu stellen? p. 9. Quamquam in tabula, quae hic legenda est, illa cautioe utendum est, ut pro a. 1295. intelligatur a. 1294. quod ex Indictione & an. Regiminis *Adolphi* dijudicandum est. conf. *Brover*: Antiq. Fuld. p. 317. *Schannat*. Hist. Fuld. p. 211. At ambo Scriptores sex annos hujusmodi administrationem *Adolphi* numerant, de Comite Hanovienfi mentionem intermittentes: in qua re ipsas *Adolphi* Litteras habent diversas, de biennio & *Ulrico* commemorantes.

(h) Postquam enim nonnulli cives *Nassovii* in Comitatu *Vilmavia* confederant, qui *Phalburgeri* vocari solebant, adeoque haec res ab *Adolpho* nostro & *Henrico*, Comite *Vilmavia* in quaestione vocata fuerat; uterque hunc *Ulricum* statuebat arbitrum, qui a. 1289. hoc fecit decretum.

Nos *Ulricus*, Dominus de *Hagenawe* tenore praesentium ad universorum noticiam volumus pervenire, quod pro quibusdam hominibus inter nobiles viros, *Adolphum*, Comitem de *Nassavve* ex parte una, & *Heynricum* Comitem de *Wilmavve*, filium fororis nostrae ex parte altera, rancoris materia vertebatur, quam nobis in omnem modum & eventum unanimi consensu & libera voluntate commiserunt penitus decidendam — ordinamur tenendum firmiter in hunc modum — quod omnes homines quocunque nomine censeantur, quos *Heynricus*, Comes de *Wilmavve* nunc possidet, aliquando predicto nobili viro Comiti de *Nassavve* *Adolfo* attinentes, ipse *Heynricus* ac sui heredes — possidebunt tali tamen condicione apposita — quod *Heynricus* Comes — & ejus heredes non aliquem ex hominibus attinentibus predicto *Adolfo* — vel suis heredibus fuscipient, vel eis attrahant ullo modo — — Datum anno Domini M<sup>CC</sup>LXXXV<sup>IIII</sup>. in Vigilia S. Jacobi Apostoli.

Quoniam igitur per negotia Regis *Adolphi* ad illam vitam parrem, ante dignitatem regiam acta rediimus, quadam alia *Adolphi* facta huc spectantia, quasi spicilegium, addere placet, Eodem

Ex hoc autem honore, quo Adolphus *Ultricum* Hanoviensem extulit, facile judicatur, illum *Gerhardo* Moguntino minus fecisse gratum, quippe qui nullum beneficium in *Ultricum* conferri malebat. Hæc igitur, atque talia faciendo Rex *Adolphus Gerhardi* offendebat animum.

Vix autem nobis *Nassovius Mergenthemii* apparuit, cum denuo nostris oculis est subductus, & incerti quærimus, quibus locis per nonnullos subsequentes menses commoratus sit. At si ex negotiis, quæ in locis terræ *Nassovicæ* finitimis gessit, conjecturam facere liceat, illum in terra *Nassovicæ* his mensibus vixisse, ad credendum inducimur.

Nam cum fratres *Joannes & Engelbertus, Comites Saynenses*, possessiones suas paternas inter se dividerent, *Adolphus* noster d. XIV. Aprilis nominis sui subscriptione hanc transactionem confirmavit. Loci, ubi hoc factum est, memoria non est adscripta, pro more illorum temporum, in tabulis Comitum posteritati parce infervientium. (i)

Sunt igitur, qui *Wisbadii* vel alio *Nassovico* loco id accidisse, sibi persuadeant.

Certe Rex non longe aberat a *Nassovia* d. XX. Junii cum *Guido*, Episcopus Leodiensis, illum gravissimis de causis *Wezlarie* adiret. Qui enim etsi rite electus fuerat, tamen adhuc ille nec confirmationem feudorum Imperii a Rege *Romano* consecutus erat, neque cives *Leodienses* illi officia sua præstare parati. In utraque causa *Guido Adolphum* cognovit fauorem

Eodem, quem modo diximus, anno 1289. *Adolphus* noster, consentiente conjugè *Imagina, Ultrico* Comiti Hanoviarum pro centum & duodecim marcibus denariorum *Colonienſium* partem suam *Castri & villæ Reichenbergæ* cum *Castrensibus* ita oppignoraverat.

*Adolfus*, Comes de *Nassauwe & Domina Mena* Collateralis, universis presens scriptum intuentibus publice profiteatur, nos partem nostram *Castri & villæ Reichenbergæ* — — — Nobili viro, *Domino Ultrico* de *Hagenauwe*, nostro consanguineo & suis heredibus, pro centum & duodecim marcibus denariorum *Colonienſium* obligasse, tali mediante condicione, quod nobis, cum voluerimus, sive nostris heredibus, partem nostram *Castri & villæ Reichenbergæ* — — — remaneat auctoritas redimendi. — — — Anno Domini Mcc lxxxviii. in vigilia *Symonis & Judæ*.

A. 1290. d. *Matthiæ* Apostoli *Adolphus* noster Sigillo suo confirmabat litteras *Henrici de Gerarstein*, quibus hic bona sua, quæ possidebat in vico *Nassovico Bleidenſadi*, *Joanni*, Duci *Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi* pro centum marcibus, ut feudum obtulerat. *Butkens Trophées de Brabant*, T. I. p. 326. & in *Preuves* p. 127.

(i) Antimanifestum, oder richtiger und wahrhaftiger Beweis, daß die gesamtten Herrn Grafen von Sayn und Wittgenstein etc. zur gesamtten Graffschaft seyen berechtiget in Besl. p. 1. Kurzer gründlicher Bericht in Sachen Graf Ernstens von Sayn gegen das Erbstift Trier, p. 75.



rem, qui non solum ejus feuda Imperii confirmabat, sed etiam civibus obsequium, Domino suo debitum, gravissime injungebat. (k)

Quamquam postea Pontifex *Bonifacius VIII.* imperio Ecclesiae Romanae potitus, illius dignitatem minus legitimam esse judicabat, propterea, quod confirmationem prius ab Rege, quam a Pontifice Romano, contra legem *Gregorii X.* petiisset. (l)

Quo facto, post non multo in Oppidum *Confluentiam* se convertebat *Adolphus*. Neque hic erat immemor, quantum Archiepiscopo Trevirensi, *Boemundo* deberet, a quo non solum adjutus eum, quem tenebat, dignitatis gradum ascenderat, sed etiam pro impensis electionis & consecrationis quatuor millia, quingentae & quinquaginta tres marcae Colonenses humanissime fuerant creditae. Itaque ad gratum animum ostendendum omni ferebatur cogitatione. Cum in aere *Boemundi* se esse profitebatur, tum pro credita pecunia illi Castra regia, *Cochemium* & *Clotten* super flumen Mosellam sita, cum omnibus, ad illa pertinentibus, Confluentiae d. XX. Julii oppignorabat. Quanto vero id emolumento postea fuerit Ecclesiae, *Trevirensi* satis superque constat. (m)

Neque tamen diu Rex in his finibus moratus, *Francofurtum* pergebat. In hoc enim oppido d. XXVIII. Jul. Possessionem Comitatus *Lewensteiniensis* *Albrechto* Comiti de *Lewenstein*, qui hac de causa cum *Eberhardo Landaviensi* litem habuerat, jure & auctoritate sua decrevit. (n)

Neque mirum erat, id quod aliis oppidis Imperialibus adhuc per occasionem contigerat, dignitati *Francofurti*, in quo jam morabatur, consuluisse. Iphis enim Calendis Augusti non solum omnia privilegia a Rege *Fridrico*, aliisque huic urbi concessa, confirmavit, sed hoc etiam sanxit privilegium, ut quenquam civium *Francofurtensium* extra suam civitatem in jus vocare nemini liceret, nisi justitia denegata. (o)

Jamque in eo erat, ut animo meditaretur *Francofurto Norimbergam* proficisci. Ex quo tempore varia eademque magni momenti consilia patefecit. Multa restabant, quorum alia hoc anno instituere, alia perficere mente agitabat. Namque Rege *Galliae* bellum indicere, foedus cum Regi *Angliae* inire, denique in *Thuringiam* facere impetum, ex re & ex tempore constituerat. Atque de his tribus negotiis sigillatim dicere est animus, quam

(k) *Lunigii* specileg. Eccles. P. II. p. 512.

(l) *Hocsemii* Gesta Pontif. Leod. L. I. c. 21.

(m) Ab *Honthheim* Hist. Trevir. Dipl. T. I. pag. 828. *Kyriander* Annal. p. 145. & 206. qui hoc factum regiam donationem vocat.

(n) *Georgijch* Regest. Dipl. T. II. ad a. 1294. n. 38. & 39. Acta Acad. Theodoro-Palat. p. 337. & 356. seq. n. 5.

(o) Privilegia und Pacta der Stadt *Frankfurth*, p. 9. 10.

quam suo quodque tempore reddere sit difficile, quia quædam illorum uno eodemque tempore vel exiguo intervallo accidisse videntur.

Igitur *Adolphus Norimbergæ* d. XXXI. Aug. ad Regem Galliarum, *Philippum Pulchrum* dedit litteras, eumque reddidit certiores, se non æquo ferre animo, quod ille ejusque progenitores bona, possessiones, jura, jurisdictiones, tractusque terrarum Germanico Imperio eripuissent, & adhuc retinerent; se igitur proxime tentaturum, quid vires suæ contra illum efficere possent. (p)

Inter hæc negotia Rex, antequam *Norimbergæ* discederet, d. V. Sept. *Augustæ vindelicorum* duo privilegia impertivit, quorum altero ad itinera & pontes muniendos, bigis & curribus civitatem ingressis vel egressis portorium imponere permittebat, altero libertatem ab alieno judicio civibus concessit. (q)

Eodem loco d. VI. Sept. *Norimbergenſi* saltuariorum præfecto privilegium suum, in saltibus exercendum, renovabat. (r)

Sed hæc parvi æstimanda sunt præ bello, quod *Adolphus* Regi Galliarum hoc loco denunciavit: de qua re nunc uberius dicendum est.

De hoc bello priusquam scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne id vitio vertant *Nassovio*, quod non solum de juribus Imperii servandis, sed etiam de opibus cogitabat, quæ ad diadema, non nisi magnis sumptibus servandum, pertinerent, præsertim, cum illæ ex hereditariis provinciis redeuntes, ad tantas res minus sufficerent. Erant jam, ut ait *Gundlingius*, Imperii nervi incisi, alienata in Principum manibus versabantur vectigalia, qui firmum domini præsidium in diuturnæ possessionis titulo quærebant, respondentibus haud dubie responsuri; possidemus, quia possidemus; (s) licet *Friderici II.* ætate sine Principum consensu data revocari poterint. (t)

Qui-

(p) *Leibnitii* Cod. Jur. Gent. Part. I. p. 32. *Lunigii* Part. special. cont. I. p. 4. *Martene* Thes. nov. anecd. T. I. p. 1270. apud quem posteriorem loco *Reinerberg* legendum est *Nurnberg*.

*Adolphus*, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, magnifico Principi, Domino *Philippo*, Francorum Regi. Quod tam per progenitores vestros, & per vos bona, possessiones, jura, jurisdictiones, tractusque terrarum nostri imperii, per occupationem illicitam tanto tempore detinentur, & temere usurpantur, prout in diversis locis rei evidentia manifestat, nequeuntes a modo absque verecundia sub dissimulationis patientia præterire, vobis presentibus intimamus, quod ad prosecutionem injuriarum tantarum disponimus, contra vos vires nostræ potentie exercere. Datum *Nurenberg*. II. Cal. Septembris anno Domini Mccxciv. regni nostri III.

(q) *Lunig*. Part. Spec. IV. p. 90.

(r) *Schrovarzii* dissert. de Butigulariis, p. 29.

(s) *Gundlingii* observ. select. T. I. p. 97.

(t) Est in charta *Friderici II.* a. 1215. apud *Hedam* p. 196. Cum apud *Franckenfordt*

Quibus præmissis, *Adolphus* ea reposcenda putabat, quæ Gallorum Reges, vel illorum filii sibi vindicaverant, perinde quasi ea honori, non prædæ haberent.

Sed tamen *Nassovius* ea, quæ Reges *Gallie* ex Imperio Romano sibi arrogaverant, non separatim significat, modo communiter de bonis, possessionibus, juribus, tractibusque terrarum injuste occupatis, in litteris, ad Regem *Gallie* missis, querebatur.

Quare æqui lectores non mirabuntur, si illa, quorum ratio non certis nititur argumentis, conjectura consequi studeamus.

Scriptores cœvi per ea, quæ in litteris, ad Regem *Gallie* missis, ab imperio Germanico avulsa dicuntur, inprimis *Regnum Arelatense* intelligi volunt. (u)

Originem regni *Arelatenfis*, ejus fines, & tempus, ex quo cum Imperio Romano conjunctum fuit, enumerare longum & superfluum esse videtur. (x)

Neque *Adolpho* nostro de toto regno *Arelatenfi*, sive novo *Burgundico* controversia fuit, nec esse potuit, cum compertum habemus, majores ejus, ne *Galli* in toto regno *Arelatenfi* sibi jus pararent, & majestatem constituerent, consilio & virtute providisse. (y)

Quod si igitur scriptores fide alioqui non indigni commemorant, Gallos Im-

fordt in curia solemniter indicta præsideremus per principes, qui ibidem aderant, talis data fuit sententia, & ab iisdem approbata, quod nullam auctoritatem sive *Warandiam* telonei in damnum vel præjudicium alicujus nostræ præstare securitas potuisset.

(u) *Henn. Siero* ad a. 1294. eodem anno orta est discordia inter Regem *Franciae* ex una parte, & *Eduardum* Regem *Angliae* ex altera, & *Adolphus* Romanorum Rex plus favens Regi *Angliae*, repetivit a Rege *Franciae* regnum *Arelatense*, & quasdam alias terras & provincias, quas dicebat esse imperii. Insuper & spineam coronam domini, quas nisi redderet, eas quod in manu forti vellet requirere, demandavit, & ob hoc multi Comites & nobiles, sicut Comes *Flandriae*, & de *Bar* & alii se eidem Regi *Franciae* opposuerunt, qui ei ante confueverant adharere.

Fere iisdem verbis assentitur *Eberhardus Ratisbonnensis* in *Chronico* ad a. 1294. Orta est controversia inter Regem *Franciae* ex una parte, & *Eduardum* Regem *Angliae* ex altera. Et *Adolphus* Romanorum Rex plus favens Regi *Angliae*, repetivit a Rege *Franciae* regnum *Arelatense*, & quasdam alias terras, quas dicebat esse Imperii, easque quod in manu sua forti vellet requirere, demandavit.

(x) *Habnii* Dissert. de justis *Burgundici* novi seu *Arelatenfis* regni limitibus. Hala 1716. 4. *Schaplini* Dissert. de *Burgundia*, — cis & *Transjurana*. Argent. 1731. *Majcovii* Diss. de nexu regni *Burgundici* cum Imperio Rom. German.

(y) Illustrationis causa quædam exempla proferre licebit. Post obitum Comitis *Burgundia*, *Wilhelmi IV.* Imperator *Lotharius Convado*, Duci *Zaringensi* hunc Comitatum tradidit, qui, etsi *Rainaldus*, superioris Comitis cognatus, resisteret, tamen in *Burgundia* *cisjurana*, vel in hodierna *Helvetia* dignitatem suam obtinuit:

Imperio Germanico regnum *Arelatense* eripuisse; illos ad quasdam illius partes, inter quas Comitatus *Provinciae* & *Burgundiae* excellebat, respexisse, vulgo existimatur.

Itaque non desunt interpretes, quibus ad *Provinciae* jura repetenda mentem oculosque direxisse *Adolphus* videtur. (z) In qua re dijudicanda pauca supra repetemus.

Scriptores antiquos pro more illorum temporum dominium *Provinciae* iterum iterumque vocare regnum *Arelatense* non est difficile intellectu: ex urbe *Arelato*, capite *Provinciae* appellationem regni *Arelatensis* traxerunt. Ita auctor *Chronici Colmariensis* minus accurate scribit, *Arelatensi* Rege mortuo, & sine herede masculino decedente, ad *Rudolphum* regem Romanorum devolutum fuisse regnum, licet illius testimonium prudenti interpretatione adhibita, in cæteris grave ducendum sit. (a)

Enim vero *Raimundus Berengarius*, qui vitam posuerat, fuit Comes *Provinciae*, non *Rex Arelatensis*. Huic autem quatuor erant filiae, quarum natu  
mini-

tinuit: ob quam rem Duces & Palatini *Burgundiae* interdum vocari solent. *Ma-*  
*scovii* Comm. de rebus Imperii Rom. Germ. T. III. L. I. §. 7. p. 10. seq.

Rex *Conradus III.* pari modo documenta dedit, penes se & imperatores *Germania*, summum jus & imperium in *Burgundia* esse. Idem T. III. L. III. §. 26. p. 169. seq. *Pfessinger* ad *Vitriarium* T. I. p. 249. *Fridericus I.* post mortem *Rein-*  
*waldi*, Comitibus *Burgundiae*, quem modo diximus, ducta ejus filia *Beatrice* uxore, non solum jure hereditatis terras a focero relictas possidebat, sed etiam ut *Imperator* imperium summum in *Burgundia* exercebat. *Orto Frisingensis* de Gest. *Frider. I.* Imp. L. II. c. 29. *Radevicus* de rebus gest. *Frider. I.* Imp. L. I. c. 11.

Atque ita *Burgundiae* Comitatus ad *Ostionem I. Friderici I.* filium ex *Beatrice* progenitum, & per hujus filiam, Duci *Meraniae* nuptam, ad duces *Meraniae* translatus est. *Albericus* ad a. 1190. Quorum vero stirps mascula postquam cum *Ostione* juniore defecerat; *Fridericus III.* *Norimbergensis* *Burgundius*, qui *Elisabetham*, ultimi Ducis sororem in matrimonio habebat, a Rege Romanorum *Wilhelmo* Batavo in Castris ad *Ingelhemium* a. 1249. omnes terras a focero ejus *Ostione* l. possessas, clientelari jure accepit. *Anonymi Chron. Erford.* ad a. 1248. in *Schannati* vindem. litter. coll. l. p. 101. *Aventini* anal. *Boj. L. VI. c. 6. §. 17.* & *L. VII. c. 6. §. 4. seqq.* *Jo. Dav. Kæler*, *Diss. de Ducibus Meraniae.* *Altorf.* 1729. 4.

Neque Rex *Alphonsus*, nec *Richardus*, hujusmodi jura neglexerunt, quod ex litteris ad civitatem *Vesontionem* missis, simulque ex mandatis, ne Comes *Hugo Vesontionem* vexare pergeret, ex aliisque actionibus intelligitur. *Chiffletii* *Vesontio.* P. I. c. 54. p. 222. seq. *Gebauters* *Leben R. Richards.* L. III. in *Ursfonten.* n. 27. 41. 47. Quanquam in turbulentis interregni temporibus *Galli* idoneam occasionem fines imperii sui dilatandi nacti esse videntur.

(z) *Gundlingius* l. c. seq. *Vitriarius illustratus*, l. c. p. 251. *Biblioth. Halens.* T. III. p. 199. in recensione *Vitriarii illustrati.*

(a) *Chron. Colmar.* p. alt. p. 54. Circa idem tempus Rex *Arelatensis* sine hæredibus moritur, & hæreditas ad Regnum devolvitur Romanorum. *Rudolphus* tunc temporis

minimam, *Beatricem*, in testamento heredem suarum terrarum scripserat, *Carolo Andegavensi*, postea Regi Siciliae, nuptam; *Margaretha*, conjugi *Ludovici Sancti*, Regis Francorum, primigenitae *Berengarii* filiae, certa pecuniae summa testamento fuit relicta. Quae igitur constitutio etsi cum Imperii legibus pugnat, tamen illam *Pontifex* Romanus confirmare audebat: nec *Fridericus II.* Regi a Pontifice e seceratione devincto tantae injuriae obviam eundi data erat facultas. (b)

*Berengario* igitur e vita excedente, apud proceres *Provinciae* reverentia Imperii Romani plus valuisse videtur, quam testamentum Comitis, Regi *Rudolpho*, narrante *Chronico Colmariensi*, voluntatem declarantes suam. At *Carolus*, Rex Siciliae, ex testamento quasi legitimus heres, renitente Rege *Rudolpho*, in possessionem *Provinciae* ponebat pedem, de jure Regis Romani minus sollicitus. Nec non *Margaretha*, filia *Berengarii* natu maxima jam vidua Regis Galliae, *Ludovici IX.* de jure hereditatis terrarum paternarum magnopere contendebat. Quae igitur cum Regem *Rudolphum*, penes quem summum *Provinciae* imperium erat, imploraret, in spem fuit adducta, id consequendi, quod volebat, nisi *Pontifex* Romanus illius consiliis obstitisset. Namque ex sententia *Rudolphi* & *Caroli* Pontifex *Nicolaus III.* arbiter constitutus, *Mattheo Ursino*, Principi purpurato, & *Benedicto Anagnino*, Notario, dedit negotium, ut quicquid inter *Rudolphum* & *Carolum* Regem Siciliae controversiae erat, cognoscerent, & discordes reconciliarent animos. Quo facto a. 1280. inter illos convenit, ut inter alia transacta, quae ad Italiam spectabant, *Carolus* Siculus Comitatum *Provinciae* & *Folcae* *verii* beneficiario jure retineret. Quam igitur pacem accuratius descriptam insequenti anno 1281. novus Pontifex, *Martinus IV.* confirmavit. Simul ad firmandam hanc amicitiam, *Rudolphus* filiam suam *Clementiam* *Carolo* Martello, Regis *Caroli* nepoti primigenito, postea

H 2

Regi

poris Rex exstitit Romanorum, qui propter nimias occupationes, quas habuit in Teutonia ad regnum Arelatense non poterat pervenire, ut illam in propriam potestatem traheret. Intelligens haec Rex *Franciae*, mandavit Baronibus, quibus Rex regnum Arelatense commiserat custodiendum, ut sibi regnum in potestatem suam darent, alioqui totum regnum cum armatis hominibus devastaret. Custodes Arelatenfis regni Regem *Franciae* suppliciter rogarunt, quatenus regnum non suum deleret. Vellent enim voluntatem suam Regi Romanorum demandare, & quod regnum contra voluntatem Regis *Franciae* non possent per tempus aliquod retinere, quia posset regnum cum armatis hominibus faciliter devastare. Cum haec & his similia custodes regni Arelatenfis regi Romanorum demandassent: Scripsit eis, quod se defenderent, vel componerent, sicut possent, quia secundum temporis statum, non posset eis in aliquo subvenire. Haec audientes Arelatenfis regni custodes, regnum regi tradiderunt, tali conditione, seu pacto, ut Regi Romanorum regnum redderet, vel cum eo pacifice componeret, temporibus opportunis. Rex autem *Franciae* accepto regno, filiam cum eo matrimonio copulavit.

(b) *Petri Saxii* Pontificium Arelatense in *Menckeni* Script. T.I. p.284. seq. & 287.

Regi Hungariæ, despondebat, dotisque nomine illi Comitatum *Provinciae*, & Folcaquerii concessit.

*Carolus Rex & Princeps* ex formula a *Rudolpho* Cæsare præscripta, Imperio homagium præstiterunt. Ipsæ vero nuptiæ post aliquot demum annos propter ætatem sponæ minus adultam fuerunt celebratæ. (c)

Ex his itaque, quæ modo dixi, facile judicandum est, sub *Rudolpho* Rege Imperium Germanicum in Comitatu *Provinciae* nullum fecisse detrimentum. (d)

Postquam autem *Adolphus* noster sceptro potitus est; Comitem hujus *Provinciae*, *Carolum Martellum*, cujus avus, *Carolus Rex Siciliae*, jam 1285. vitam cum morte commutaverat, Imperii Romani vinculis ruptis, castra Gallorum secutum esse, veri simillimum est. Illum enim Regi *Adolpho*, prout debebat, fidem suam obligasse, nullum indicium reperimus. Ac si ex re & tempore judicare velimus, Rex Galliarum *Philippus pulcher*, hujus defectionis, si qua fuerit, auctor existimandus est. Jam regnante *Rudolpho*, Rex Galliarum in variis regni Burgundici partibus sibi jus parare studebat. Oppidum *Vesontionem* fatigabat, ut a Rege Germanico deficerent. (e)

Atque ex bellis, quæ Germanorum Rex cum *Ottone*, Burgundiæ Comite, aliisque belli sociis gessit, ex auxilio, quod a Rege Galliarum illi promissum fuit, ex minis, quibus Rex Galliarum insequeretur *Rudolphum*, nisi *Burgundiam* relinqueret, satis intelligitur, quid mente agitaverit Galliarum Rex; Comitemque Burgundiæ, ejusque socios tum temporis Gallorum regno, quam Germanico Imperio fuisse addiciores, ut suarum ditionum jura illius potius, quam hujus beneficio accepta ferre viderentur. Ac jam hoc tempore de juribus Imperii in istis regionibus actum fuisset, nisi *Rudolphus* hostes suos armis vicisset, & ad officium redire coëgisset. (f)

Sed

(c) *Convingius* de Finibus Imperii L. II. c. 24. p. 579. *Phil. Henr. a Gotthart* Diff. de regno Arelatenfi c. 3. §. 1. Vita Pontif. ap. *Muratorium* T. III. P. I. p. 605. seqq. & T. III. P. II. p. 426. seqq. *Pfessinger* ad *vitriarium* T. I. p. 251. *Säbert* in *N. S. B.* II. p. 552. seqq.

(d) Quibus præmissis, sententia *Chron. Colmar.* not. (a) citati facilius erit interpretatu. Per Regnum Arelatense Comitatus *Provinciae*, & per Regem Franciæ *Carolus Rex Siciliae*, qui erat frater *Philippi Sancti*, Regis Franciæ, intelligendus esse videtur. Neque in ullum Regem Galliarum, quæ hoc loco referuntur, conveniunt. Nam *Ludovicus IX.* maritus *Margarethe* ante imperium *Rudolphi* erat mortuus: hæc erat vidua, cum terras patris sui defuncti reposceret. Neque ejus filios sibi *Provinciam* vindicasse. adsunt testimonia. Regem autem Franciæ, accepto regno, quod narrat *Chronicon*, filiam cum *Rudolpho* matrimonio copulasse, est error, inde forte natus, quod Rex *Rudolphus* filiam suam *Clementiam* *Carolo Martello* collocaverit.

(e) *c. issletii* *Vesontio*. P. I. c. 58. p. 230. edit. sec.

(f) *Henr. Stero* ad a. 1287. *Avent.* in *Annal. Bojor.* p. 679. *Chiffletii* *Vesontio*, l. c. c. 59. *Cont. Marr. Pol.* apud *Eckert.* corp. *Hist. med. ævi*, T. I. p. 1429. *Trithemius* *Chron. Hist.* ad a. 1289.

Sed hic dolus, quo *Comites Burgundie* ad suas partes traxerant, non locum habebat apud *Provincia Comitem*, dum viveret *Rudolphus*. Etenim conjugio *Clementie* tanta inter *Rudolphum* & *Comitem Provincie* intercessit necessitudo, ut ille obsequio, quod debebat Imperio Germanico, nec vellet, nec posset renunciare. Post obitum autem *Rudolphi* alia erat rerum facies. Metu ille erat levatus, qui antea cogebatur in officio manere. Quemadmodum igitur *Philippus* pulcher *Ottonem*, *Burgundie* Comitem post *Rudolphi* fata ab Imperio Germanico abalienatum, sibi obnoxium reddidit, ita etiam ille Comes *Provincie*, ut mea aliorumque fert opinio, a Rege Gallie sollicitatus fuit. Hic vero tanto facilius fidem suam mutasse videtur, quum illum sanguine cum *Philippo* pulchro junctum fuisse constat. Accedit, ut *Clementia* soror esset *Alberti* Austriaci, qui nihil omisit, quod ad animum *Adolphi* offendendum pertineret.

Igitur meo quidem iudicio inter alia hæc probabilis causa esse videtur, cur bellum Regi Gallie indixerit, jura Comitatus *Provincie*, quem regnum *Arelatense* vocabant, ex officio repetens. (\*) Neque hujusmodi jura parvi æstimanda fuerunt. (g)

Hactenus de injuria Gallorum in Comitatu *Provincie* probabilia tantum argumenta recensuimus. Nunc certiora exempla & testimonia proferemus, ex quibus pateat Regem Gallorum in Comitatu *Burgundie* per scelus sibi majestatem constituisse.

Discordiam, inter Regem *Rudolphum* & *Ottonem V.* Comitem *Burgundie* ortam supra leviter tetigimus. Namque non solum ob contentiones, quas cum *Burgundis* habebat *Episcopus Basiliensis*, opem Regis implorans, sed etiam ob studium, quo Comes *Burgundie* Gallorum Regi erat deditus, terras *Ottomisa* a. 1287. ingressus est *Rudolphus*. In cujus amicitia igitur Comes munimenta terrarum suarum se habere, putaverit, facile conjicitur ex auxiliis, quæ illi ex *Picardia*, *Francia*, & *Flandria* mittebantur. Neque tamen cum Rege congredi audebat, sed per *Ducem Burgundie* in gratiam rediit. Quæ amicitia cum minus firma esset, paulo post *Rudolphus* cum *Ottone* renovatum gerebat bellum, armis in *Bifontinos* sibi & imperio fideles conversis. *Vesontionis*

H 3

(\*) *Henr. Storo* ad a. 1294. conf. supra not. (u.)

(g) Quæ fuerint Imperatoris jura in hac *Provincia*, patet ex litteris Investituræ concessæ *Raimundo*, *Provincia Comiti* apud *Petrum de Marca* in *Marca Hispanica* App. p. 1331. in quibus hæc verba: insuper dat ei in feudum civitatem *Arelatensem*, ita ut omnes cives sint ad ejus fidelitatem & servitium, sicut esse deberent ad servitium ipsius Imperatoris, tam milites, quam populares, ita quod omnia regalia ipsius sint, tam in monetis, quam in portibus & in ripariis, pratis, piscis, falinis, & omnibus aquis, aquarumque decursibus, & omnino omnia hæc, quæ ad jus imperiale spectant.

nis oppugnationem a. 1289. mense Augusti aggrediebatur. Cujus adversus copias ipse omnis consistebat *Ottoni* in auxiliis a Rege Galliae promissis. Tentata autem *Rudolphi* est virtus a Rege Gallico. Namque is primo Germanorum Regem minis gravibus a conatu deterrendum susceperat. At hic invitatus adversus ea, quae ceteros terrent, audacter respondebat, atque dedit legatis mandata, quae virtute ejus non erant indigna. Quo nuntio *Philippus* pulcher commotus, quod intelligebat, sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui, quod cogitasset, facere auderet, & prius cogitare, quam conari consueisset; ad pacem atque amicitiam *Ottonem* ejusque belli socios hortatus est. Quam *Rudolphus* etsi non fidam fore putaverit, tamen conditionem accepit illisque vetera jura Imperii confirmavit. (h)

Sic bella, quae *Otto*, Gallis auctoribus, adversus *Rudolphum* susceperat, sedata. Rex vero Gallia quiescendum in praesenti, quia nocere se imperio Germanico non posse intelligebat, aliud tempus expectandum decrevit. Quod si igitur nihil fictum, nihil simulatum diuturnum esse potest, non mirum est, quod ille, quem minus fidum cognoverat *Rudolphus*, ab *Adolpho* descisceret, suosque posteros ab Imperio Germanico alienare studeret. Cujus defectionis initium *Otto V.* querebat, cum a. 1290. vel, ut alii dicunt, a. 1294. filiam suam *Joannam*, *Philippi pulchri* filio, *Philippo longo* desponderet, ea quidem conditione, ut, etsi non ex hoc conjugio susciperent prolem, tamen Comitatus *Burgundiae* regno Gallorum adjungendus esset. (i)

Quamquam vero ex hoc matrimonio inito postea liberi procreati sint, tamen mens *Ottonis*, terras suas, quas beneficio Imperii Germanici possidebat, Gallis subjiciendi non est obscura. Et si epistolam Pontificis *Bonifacii VIII.* ad Regem Galliae scriptam, in qua speciatim Comitatus *Burgundiae* ab ipso occupati, meminit, attenta mente consideramus, non difficile erit intellectu, hunc *Ottonem* non solum suos posteros, sed etiam se ipsum, tanquam vasallum, cum terris suis imperio Gallorum tradidisse. (k)

Neque

(b) Conf. not. (f) Contin. Mart. Pol. l. c. haec habet: Anno Domini Mccclxxxix. Rex *Rudolphus* misit ad Comitem *Burgundiae*, repetens civitatem *Bisantiæ* cum pertinentiis suis, quae asseverabat ad Imperium pertinere; cumque Comes de subsidio Regum Francorum confusus, petita restituere denegasset, Rex in *Burgundiam* cum exercitu valido introivit, & castra sua ex una parte *Danubii* fixit, Comes vero ex altera. Cum autem Rex Francorum se ab auxilio Comitis retraxisset, & eidem de concordia consulisset, Comes ad Regis *Rudolphi* mandata veniens, civitatem & se sibi submisit, & certis pactis inter ipsos firmatis, inter amicos imperii familiarior est effectus. —

(i) *Vignier Chron. Burgund.* ad a. 1290. p. 158.

(k) *Raynaldi annales Eccles.* ad a. 1294. p. 469. qui epistolam Pontificis *Bonifacii VIII.* ita memoriae prodidit: Amantissime Fili, considera, quis Rex, quisve Prin-



Neque alia testimonia, quæ de hac injuria, Imperio Germanico a Gallis facta, proferri possunt, hujusmodi interpretationi repugnant. (l)

Equidem non ignarus sum, in *Chronico Colmarienti* relatum legi, *Comitem Burgundiæ* inter oppugnationem Colmarie superiori anno adiisse *Adolphum*, & homagio præstito, illi auxilium suum ultro promississe. (m)

Quæ vero valde dubia nobis videntur, si ad istos mores referantur, quos supra in vita ejus commemoravimus; aut fidem simulasse, aut ingenio maxime mobili existimandus est.

At cum ille Comitatus *Burgundiæ* ad feuda Imperii pertineret, illorum violationem æquo animo tolerare minime decebat Regem *Adolphum*.

Nec hæc satis. In aliis quoque locis Galli possessiones & jura Imperii sceleris sui prædam fecerant. Cujus rei querimoniam cum ad Regem *Rudolphum* pervenissent, ille a. 1288. in Episcopatum *Verodunum* misit legatos, ea, quæ relata fuerant, accuratius exploraturos. Itaque *Rudolphus* ex legatis audiens, quæ minus vellet, a. 1289. dedit tabulam, in qua hanc Gallorum injuriam palam professus est. Inter alia hostilia monumenta Galli civitatem *Montfaucou*, & Abbatiam *Beaulieu*, quæ erant Imperii, temere sibi vindicaverant.

Igitur *Rudolphus* ubi cum Pontifice de ista injuria questus esset, ille atrocitatem hujus facti lenire studebat, dicens, se Regi Galliarum decimas in finibus Imperii Romani ad bellum Arragonicum gerendum addixisse. (n)

Quod si igitur nobiscum reputamus injuriam, qua Reges Galliarum illo tempore Imperium Romanum affecerint, nobis non mirum videatur, *Adolphum* Phi-

Princeps regnum tuum, non impugnatus a te, vel non offensus, impugnant. Nonne Rex Romanorum fuisse occupatas a te, tuisque prædecessoribus, seu occupatas teneri civitates & terras, seu limites ad Imperium pertinentes, cum instantia conqueruntur, & specialiter *Burgundiæ Comitatum*, quod notum est, fore feudum descendens ab Imperio & recognoscendum ab ipso? Nonne charissimus in Christo filius noster Rex Angliæ illustris de nonnullis terræ *Guasconie* asserit illud idem? Nunquid super iis dicti Reges denegent stare juri? conf. *P. Daniel* in *Hist. Franc.* T. II. p. 291. *Servii* *Syntagma Hist. Germ.* p. 767.

(l) *Chronicon Colmar.* ad a. 1294. hæc refert: audiens Rex Angliæ, quod Rex Franciæ regnum *Arelatense* Regi Romanorum subtraxisset, atque filia tradidisset &c. Quum igitur Pontifex in præmissa epistola id, quod alii regnum *Arelatense* vocant, speciatim per *Comitatum Burgundiæ* interpretatur; idem sensus in hoc *Chronico* locum habere potest. Quod de filia *Philippi pulchri* additur, cui tradiderit regnum *Arelatense*, est error, qui forte per filium *Philippi pulchri* corrigi potest, cui nupta est filia *Ostonis*. Huic igitur Rex Galliarum Comitatum *Burgundiæ* confirmasse putandus est, Ottone consentiente ex pacto.

(m) *Chron. Colmar.* l. c. p. 51.  
 (n) *Calmet. Hist. de Lorraine* T. II. dans les *Preuves* p. 528. seq. p. 328 -- 331. *Raynaldus* T. XIV. ad a. 1290. n. 21. seqq. p. 427. seq.

*Philippo* pulchro indixisse bellum, ad illa recuperanda, quæ illi jure negari non poterant, præsertim cum non sit obscurum, quanta industria majores *Adolphi* jura sua tueri consueverint. (o)

Sunt quidem alii, sententiam *annalium Colmariensium* temere sequentes qui nobis persuadere student, jam a. 1292. post negotia in Alsatia peracta *Adolphum* cum exercitu *Vesontionem* iter direxisse. Sed si memoriam illius temporis recordemur, inde usque ordinem rerum repetentes, nullum fere spatium ad istud iter faciendum relictum esse videmus. (p)

Neque tamen prius *Adolphus Philippo* pulchro bellum indixisse videtur, quam post discessum legatorum, quos Rex *Angliæ* ad nostrum miserat, cum illo contra *Galliæ* Regem facturus societatem. Neque est credere indignum, illos coram cum *Adolpho* egisse *Norimbergæ* ubi is d. VI. Sept. adhuc morabatur.

Enim vero *Eduardus*, Rex *Angliæ*, cum *Philippo* pulchro gravissimam habebat controversiam, quæ vel ex veteri æmulatione, vel ex contentione inter *Anglos* atque *Normannos* in finibus *Navarræ* orta fuit, *Gallis* omnem *Guennam*, vel ut alii dicunt, *Gasconiam*, quæ *Anglorum* erat, occupantibus. (q)

Quæ *Gasconia* inter feuda, a Regibus *Galliæ* accipienda, referebatur. Quare ex hac ratione alieno imperio parere, *Anglis* valde molestum fuisse censetur. Quid? quod narrant, post obitum Regis *Galliæ*, *Philippi* audacis, *Anglos* a jure suo in *Aquitaniam*, aliasque *Galliæ* partes decedere constituisse,  
ut

(o) Igitur *Cuspianus* de *Cæsariibus*. p. 444. inique judicat, qui ob hæc studia *Adolphi*, quasi novas res concupiverit, illum Principem inquietum vocare non erubuit. Ipse pontifex *Bonifacius VIII.* in litteris ad Regem *Galliæ* missis, *Gallorum* injuriam in hac causa improbavit. *Reynaldi* annal. *Eccles.* ad a. 1294.

(p) *Annal. Colm.* ad a. 1292. p. 27. *Adolphus* Rex in Imperio omnes controversias componit. Principes ad expeditionem hortatur. *Episcopus Spirensis* milites & LXX. currus habuit præter ligas, *Coloniensis* ducentos milites cum equis phaleratis. *Moguntinus* copiosam militum multitudinem. Hi cum cæteris iter dirigunt *Vesontium*. *Conf. Sæberin*, l. c. p. 642.

(q) *Chronic. Colmar.* ad a. 1296. p. alt. p. 54. Audiens Rex *Angliæ*, quod Rex *Franciæ* *Regnum Arelatense* Regi *Romanorum* subtraxisset, atque filia tradidisset, mandavit Regi *Romanorum Adolpho*, quod si vellet cum juvare, quo civitatem, quam sibi Rex *Franciæ* subtraxerat, recuperaret, cum propria persona, cum hominibus, cum pecunia fideliter adjuvaret. Sed falso hæc facta in *Chron.* ad a. 1296. referuntur, quæ spectant ad a. 1294. Igitur per civitatem substractam intelligi *Gasconiam*, ex litteris *Bonifacii* patet, *conf. not. (k)* paulo ante cit. & *Thom. Walsingami Hist. Angl.* p. 61. *P. Daniel Histoire de France*, p. 286. *Halenf. Bibliothec.* l. c.

ut laxatis clientelæ vinculis, omnem diffensionem frangerent armis, & terras vi expugnatas jure belli possidere liceret. (r)

Quæ vero hoc tempore Gallis causæ proximæ fuerint, Gasconiam occupandi, minus lucide apparet. Certe illæ leves fuisse videntur. (s)

Neque ipse Pontifex Romanus, *Bonifacius* illas tanti æstimat, ut *Philippus* pulcher Anglorum terras jure in suam redeget potestatem. (t)

Quæ igitur Rex *Eduardus* moleste ferens, credebat, suæ esse majestatis ulcisci injuriam, neque pati, Gallorum regnum per scelus crescere. Quam ob causam socios quærebat, quorum auxilio id exsequeretur, quod in Regem Galliæ excogitaverat.

Itaque audiens *Eduardus*, *Adolphum* Regi Galliæ esse infestum, atque huic esse justissimas causas *Franciae* bellum inferendi, d. XX. Jun. legatos illustrissimos, *Archiepiscopum Dublinensem*, *Antonium*, *Episcopum Dunelmensem*, nobiles viros, *Hugonem de Despensers*, *Nicolaum de Segrave*, *Florentium*, Comitem *Hollandiæ*, cum multis muneribus ad Regem Germaniæ mittit, rogaturos, ut is cum *Eduardo* contra *Philippum* pulchrum, Galliæ Regem foedus iniret, varia pollicitando, quæ animum *Adolphi* accendere possent. (u)

Simul

(r) *Gaguinus* in *Annal. Gall.* p. m. 119.

(s) *Chron. S. Stephani Cadomenfis* apud *Chesne* in script. antiq. *Hist. Normannor.* p. 1021. hæc memoria prodidit, licet auctor amori Galliæ, quam forte veritas concedit, plus largitur: Anno Mccxciii. orta est in mari controversia magna inter navigantes regni *Franciae*, & regni *Angliæ*, causa levissima præcedente; factis magnis occasioneibus & transactionibus hinc & inde. Quadam die occurrerunt sibi invicem, & offenso signo pacis a parte Anglorum fraudulenter cum magno impetu super *Normannos* irruerunt. *Normanni* vero, timore perterriti, timentes, ne pars adversariorum prævaleret, naves cum omnibus, quæ ferebant, sine læsione aliqua, in Anglorum maribus reliquerunt. His auditis & diligenter examinatis ab excellentissimo Principe, *Philippo*, Rege *Francorum*, humiliter supplicavit regi Anglorum, ut bona omnia restitui faceret, quæ subditi sui in damnum regni sui turpiter fraudaverant. Idem vero Rex *Anglicus* iniquitate repletus, licet sufficienter, prout moris est, esset monitus, bona reddere totaliter denegavit. Acto igitur consilio cum Comitibus & Baronibus suis, Rex *Francicus* totam terram, quam habebat in regno suo, propter ipsius obedientiam feveriter occupavit, & illam sibi & regno suo celeriter subjugavit.

(t) *Conf. not.* (u) paulo ante cit.

(u) *Rymeri* acta publ. T. I. P. III. & IV. p. 131. Excellentissimo Principi, Domino *Adolpho*, Regi *Romanorum* illustri — — — *Edwardus* — — — Cum venerabiles patres in Christo — *Archiepiscopum Dublinensem*, & *Antonium* — *Episcopum Dunelmensem* — — — fideles nostros exhibituros præsentium super certis negotiis ad serenitatis vestræ præsentiam destinemus. Excellentiam vestram requirimus & rogamus, quatenus his, quæ præfati nuncii nostri, quibus aperuimus plenius mentem nostram, ex parte nostra vobis exponunt, indubitatam fidem, si placet dignemini adhibere ac ea votivo effectui mancipari.

Simul Rex Angliæ eòdem legatos cum litteris, quas *Sigfrido*, Archiepiscopo Colonienfi redderent, dimisit, in quibus ab illo petit, ut super negotiis, quorum caussa in Germaniam erant missi, colloqui non dubitaret. (x)

Neque enim *Eduardum* fugiebat, quantum *Sigfridus* apud *Adolphum* valeret gratia: hunc igitur sibi adungere cupiebat, ratus, quod res monebat, illum sua juturum negotia, & rebus jam paratis fore munimentum.

Interim legati negotium sui Regis apud *Adolphum* & *Sigfridum* brevi confecerunt: adepti, quod petebant, domum se recipiebant. Quibus rebus cognitis, *Eduardus* nihil, quod ad maturandum fœdus pertineret, prætermisit: hoc enim d. XXII. Octobr. inter utrosque *Westmonasterii* omnibus numeris absolutum est. Igitur utrique Reges ex præscripto fœderis se invicem contra Regem Galliae, *Philippum* pulchrum adjuvare promittebant, & ad recuperanda, quæ ipsis Galli eripuissent; cum hoc Rege nunquam altera parte invita pacisci; si bello essent victuri, fructus victoriae inter se divisuros, præter ista, quæ altera pars jam antea suo jure postulare potuerit.

Si quis civis *Angliæ* aut stipendii caussa, aut studio partium, Regi Galliae contra *Adolphum* operam suam suppeditare ausus foret, illum patria expellendum, ejusque bona publicanda esse. De quibus omnibus *Eduardus* per suos legatos jurejurando fidem se daturum pollicebatur. Simul statuitur copias suas conjungere, quo loco & tempore vellent; & si contingeret, ut ipsi Reges convenirent, de his negotiis accuratius agere. Præterea *Eduardo Adolpho* recepit, sibi fore curæ. ut *Pontifex* Romanus illi dignitatem regiam confirmaret. (y)

His vero litteris Rex *Eduardus* alias addit, ad *Adolphum* mittendas, quibus id efficere studet, ut plane nihil dubii de fide sua relinquatur: omnibus enim regni sui proceribus, *Eduardo* obnoxiiis, ab officio suo recedendi dat veniam & impunitatem, si unquam accidisset, ut ipse in fide Regi *Adolpho* promissa non maneret. (z)

Itaque iidem legati, præter Archiepiscopum Dublinensem, interea mortuum, in Germaniam redeuntes, fœdus consignatum *Adolpho* Coloniae tradunt: quod ex mandato *Eduardi*, & ejus nomine jurejurando confirmant. (a)

Litteris igitur Regis *Angliæ* cognitis, aliisque negotiis perfectis, *Adolphus* aliquem, quem habebat fidelissimum, in Angliam mittendum curabat, qui coram cum *Eduardo* id loqueretur, quod absens promittebat *Adolphus*. Cui negotio *Adolphus* præfecit virum nobilem, *Herjradum*, vel potius *Hartradum*

Teste Rege apud Westmonast. vicesimo die Junii. an. &c. conf. Matth. Westmonast. Flor. Hist. p. 121.

(x) *Rymer*. I. c.

(y) *Rymer*. I. c. p. 138. Dumont corps Dipl. T. I. p. 423. *Lunigii* Cont. II. part. general. p. 185.

(z) *Rymer*. I. c. p. 139. *Lunig*. I. c. p. 188.

(a) *Irishem*. Chron. Hirfaug. P. II. p. 62.

*dum de Mehrenberg*, qui sine ulla mora illud suscepit, & fideliter patravit: quod testantur litteræ *Eduardi*, in quibus *Hartrado* redeunti d. VI. Novembr. *Londini* gratum & benevolum ostendebat animum. (b)

Eodem die *Londini* datas litteras *Eduardus* per *Hartradum* mittit ad *Archiepiscopum Coloniensem*, quem paulo ante Rex *Consiliarium* suum constitue- rat *minimum*. Illum, ut fidei suæ, quam dederat legatis, memor esset, admo- nuit. Simul his litteris significat, legatos suos *Adolpho* esse patefacturos, quo die & loco ambo Reges, eorumque exercitus convenire debeant. (c)

Nec non *Eduardus* isto die VI. Novembr. litteras scripsit ad *Wicholdum*, Decanum *Coloniensem*, qui postea *Coloniæ* factus fuit *Archiepiscopus*: in his laudat ejus *Studium* & operam, quam in negotiis, ad *foedus* inter ipsum & *Adolphum* spectantibus, adhibuerit. (d)

At die VII. Nov. aliis ostendebat litteris, quanti *Wicholdum*, rebus suis opportunitissimum faceret: quem etiam dignitate *consilarii intimi* ornatum, quam dignissimum sua judicabat amicitia. (e)

Cæterum memoria est dignum, quod eodem die *Eberhardus*, Comes *Catimelibocensis*, avunculus *Reginæ Imaginæ Eduardi* beneficiarius factus sit: illi enim castra sua *Hohenberg* & *Steinheim* ut feuda offerebat. (f)

Cui deinde *Rex Angliæ*, sacramento fidelitatis præstito, quingentas li- bras *Sterlingorum* d. XII. Nov. decrevit. (g)

Atque hos viros omnes, ad quos dedit litteras illo primo conventu per legatos suos sibi *Eduardus* adjungere studuit, quanto sibi in hujusmodi nego- tiis forent usui, animo cernens. Magnis honoribus & auro sibi illos para- bat. Horum enim auctoritas non solum multum apud *Adolphum* pollebat, sed etiam illa, quæ in *Germania* gererentur, certis auctoribus poterat com- perire.

Ipsam autem *Adolphum* de sanctitate sui *foederis* quovis modo convin- cere studebat. Quam ob causam illum d. IX. Novembr. per litteras reddit certiorum, se non solum illi, cui *Rex* officium mandasset, coram dedisse fi- dem, sed etiam se absentem ipsi *Adolpho* per suos legatos esse daturum, mul- tis verbis confirmat. (h)

Eodem die *Regi Germanorum* per litteras nunciat, se legatis suis præce- pisse, ut illi manifestarent, quo die & loco convenire utrisque placeret. (i)

Præter ista negotia, quibus d. XII. Novembr. *Eberhardum Catimeliboc-*

I 2

(b) *Rymer*. I. c.

(c) *Idem* I. c. In his litteris *Eduardus* *Sigfridum* vocat *secretarium* suum: quod nomen vim *consilarii intimi* habet.

(d) *Idem* I. c.

(e) *Idem* I. c.

(f) *Idem* I. c.

(g) *Idem* I. c. p. 140.

(h) *Rymer*. I. c.

(i) *Idem* I. c.



ensem sibi devinerat, etiam hoc die in eo versatur, ut *Sigfridus* Colonien-  
sis, qui millia equitum ad usum belli contra Galliam per dimidium anni promi-  
serat, fidem obligare velit suam. (k)

Quum igitur Rex *Eduardus* sua liberalitate, multa pecunia Anglica in Ger-  
maniam redundante, in magnam claritudinem perveniret; nonnulli *Germania*  
Principes illi ultro operam suam obtulisse videntur: in quibus forte fuerit  
*Episcopus Basiliensis*, ad quem *Eduardus* ob hanc causam d. XII. Novembr. lit-  
teras misisse existimatur. (l)

Quoniam *Episcopus* fortassis reminiscens veteris injuriæ, quam supe-  
riori tempore, Gallis auctoribus, illius terra a Burgundis acceperat, tempus  
vindicte arripiendum putaverit.

Cæterum nec in ipso fœdere inter utrosque Reges litteris consignato, ne-  
que aliis epistolis, hæcenus recitatis, de pecunia, quam promississe *Adolpho*  
dicitur *Eduardus*, ulla vestigia apparent. Sed tamen ex litteris, d. XII. No-  
vembr. ad *Florentium*, Comitem Hollandiæ scriptis, facile cognoscitur, Re-  
gem Angliæ quandam pecuniæ summam ea mente per virum nobilem, *Joan-*  
*nem de Butecourt* apud *Florentium* deposuisse, ut ad *Adolphum*, & alios,  
Comiti notos, perferendam curaret. (m)

Igitur legati Anglici coram cum Rege *Adolpho* de ista pecunia egisse vi-  
dentur, ut ea, quæ ad belli usum pertinerent, eo facilius compararet. Quan-  
quam de æstimatione summæ, *Adolpho* promissæ & solutæ non omnes eadem  
sentiunt. Equidem, si plus fidei habenda est testi oculato, quam aurito, fa-  
cilis assentior auctori *Chronici Colmariensis*, qui citat testem oculatum com-  
memorantem, Regi *Adolpho* triginta marcarum millia persoluta fuisse. (n)  
Nec

(k) Idem l. c.

(l) Idem l. c. At eodem tempore *Eduardum* etiam cum *Alberto Austriaco*, *Adol-*  
*phi* adversario, fœdus facere studuisse, temere affirmat *Rapin de Thoyras* in  
*Histoire d'Angleterre* T. III. p. 56.

(m) *Rymer* l. c. Rex nobili viro, *Domino Florentio*, Comiti Hollandiæ. — Cum  
mittamus ad partes vestras pecuniam, ad faciendum solutionem Regi Romano-  
rum illustri, & aliis, prout inter eos & nos per nuntios eorum & nostris, fue-  
rat in præsentia vestra conventum, sicut plenius ipsi nostis. Ac etiam trans-  
mittamus dilectum & fidelem nostrum, *Joannem de Butecourt* militem, lato-  
rem præsentium, ad ipsam pecuniam conducendam, nobilitatem vestram requi-  
rimus & rogamus, quatenus prædicto *Johanni* & aliis, pecuniam eandem du-  
centibus, consilium & auxilium efficax impendatis, ut hujusmodi pecunia bene  
salvetur, & loco, quo prius reponatur in tuto, quousque solutio pecuniæ prædi-  
ctæ facta sit illis, quibus fieri debet: & hoc, sicut prius in præsentia vestra fiat.  
Et eundem *Johannem*, & alios, de regno nostro, ad partes vestras prædictas fi-  
ducialiter accedentes, in his & in omnibus aliis, quæ nos tangunt, habere vesti-  
tis, sicut de vobis confidimus, more solito commendatos. Datum apud *West-*  
*mon.* d. 12. die Nov.

(n) *Chron. Colmar.* p. alt. p. 55. Tunc Rex Angliæ misit Regi Romanorum XXX.  
millia

Nec defunt, qui propter hanc pecuniam *Adolphum* adspargunt infamia, dicentes, Regem Angliæ partem hujus pecuniæ missæ *Principibus* Germaniæ, vel potius *Septemviris*, regniq[ue] optimatibus distribuendam destinasse; *Nasfovium* autem hanc pecuniæ summam sibi servasse totam. (o)

Attamen in tanta *Eduardi* litterarum copia in Germaniam missarum de hujusmodi distributione jussa omnino non mentio facta fuit. *Eduardus* quidem in litteris ad Comitem *Florentium* scriptis, meminit, præter *Adolphum*, aliorum, quibus quandam pecuniæ partem, ex pacto debitam, eandemque depositam, dictus ille Comes, uti præceperat *Eduardus*, commode solvendam curaret. Hos quidem alios non Rex notavit nominibus, quippe qui conscientia Comitis fretus, non accuratioribus mandatis illum indigere putabat. (p)

In quorum autem numero ducendus esse videtur *Sigfridus* Colonienfis, *Wicboldus* Decanus, *Eberhardus* Catimelibocensis, & forte *Episcopus Basiliensis*; horum enim opera utebatur Anglus, & apud illum plurimi summisungebantur honoribus. Suam igitur cuique partem pecuniæ ex pacto debitam hoc tempore attributam esse, non est, quod dubitemus. Neque penes Regem Romanorum erat, pecuniam depositam distribuere, cum ex litteris *Eduardi* appareat, solutionem pecuniæ *Florentii* nutu, non *Adolphi* arbitrio, fideliter esse administrandam.

I 3

Sed

millia marcarum (ut retulit, qui vidit,) ut hominibus armatis necessaria ministraret. conf. annal. Colmar. ada. 1297. rectius 1294. Rex Angliæ misit præcedenti anno Regi Romanorum triginta millia marcarum, ut ei armatos viros ad rerum suarum mitteret defensores. Igitur cum hi provocent ad testes oculos, minore fide dignum videtur esse testimonium *Alberti* Argentinensis p. 109. & *Mutii* L. XX. p. 202. qui centum millia marcarum statuunt, & *Matth. Westmon.* in *Floribus Hist.* p. 421. qui summam centum Libr. de *Sterlingis* nominat. Hic enim ita scribit: *Eduardus*, Rex Angliæ destinavit *Archiepiscopum* *Dublinensem*, & quosdam validiores de regno suo ad Regem *Alemanniæ* cum regis donariis & Xenis pretiosis, ut qui sibi prius affinitate non erat annexus virtute tamen crucis numismatis indissolubili fœdere suis temporibus uniretur; quibus illuc transvectis & a Rege honorifice susceptis ancillante, imo principante summa centum libr. de *Sterlingis*, omni difficultatis obice profugato, prosperatum est opus in manibus eorum, pro quo venerant satis bene, sique factum est, ut pacto inito ac firmato, fierent amici & correlative dilecti, Rex Angliæ & Rex *Alemanniæ*, qui prius incogniti fuerant, & invis. Nuncii vero Regis Angliæ Regi *Alemanniæ* valesfacto, in Angliam cum gaudio revertentes, ea, quæ facta fuerant, Domino Regi Angliæ nunciaverunt. Illo quoque tempore, videlicet *Dominica* secunda mensis *Julii* factum est. &c.

(o) *Mucius* L. XXII. *Chron.* p. 202. hæc scribit: Hujus summæ partem debuisset ita conscribendum exercitum impendere, partem inter *Principes* Germaniæ dividere: Sed sibi fere totam servaverat, nihil *Principibus* dederat: milites paucos sine stipendio miserat in *Flandriam*, spem magnam prædæ fecit militibus, quam essent inventuri in *Flandria*. Atque hac via deflitit & prodidit, si quis recte existimet rem, regem Angliæ & defraudavit principes Germanos.

(p) Conf. *Rymer* L. c. paulo ante not. (m)

Sed hinc illæ lacrymæ! Ex hoc tempore ad perniciem *Adolphi* multa manabant. *Gerhardus* Moguntinus, cujus cognatio & commendatio illi ad dignitatem regiam obtinendam multum profuerat, sperabat, se quamvis carebat nomine, auctoritate *Adolphi* munitum, fore Regem Romanorum. Quum igitur *Adolphus* ob hanc opinionem hominum male audiret; (q) ille hanc insolentiam *Gerhardi* non tolerans, suam potius, quam aliorum sequebatur sententiam. Quam ob rem *Gerhardus* videns, nihil suo consilio, neque imperio agi, se non esse participem honorum, quibus alii ab *Eduardo* ornarentur, nec pecuniæ ex Anglia missæ, ipsum *Adolphum* in omnibus rebus dominari, aliorum consilia plus, quam sua valere; certe ex hoc tempore, nisi forte antea, Regi insidias parare cœpit. Cujus sceleris facile conquirebat socios: *Albertus* Auftriacus, Imperio exclusus vasti animi Dux, & cognatione Procerum Imperii superbiens Princeps, *Philippus* pulcher, Rex astuti ingenii, aliique ad illum opprimendum concurrebant: invidia ducti appellabant eum servum Regis Angliæ; objiciebant supra, incestos amores, rapinas fraudes. (r)

Rex autem meo quidem iudicio non temeraria usus est ratione. Ipsum fœdus cum Rege Angliæ non ejusmodi esse videtur, ut in vitio poni possit: hoc enim non solum ad ea, quæ Regis Angliæ, sed etiam quæ Imperii essent, amissa recuperanda pertinebat. Quodsi igitur cogitata *Adolphi* processissent, optime de Imperio meritus diceretur.

Adde *Nassovium* in fœdere, quod cum Anglo percussit, fortem manum civium suorum pollicitum, pecuniam, ut legeret, postulasse, pecuniam numeratam, ut facilius cogeret, accepisse; sumtus, ut diutius armatus obviam ire posset, exegisse.

An vero id non satis dignum persona Regis iudicandum est, ut Rex esse nequeat, qui ex pacto & fœdere expensas sibi deposcit, nec gratuita vult defungi opera? An non nostris quoque temporibus sæpius Principes incunt hujusmodi fœdera, quæ nequaquam vituperanda ducuntur? At moleste ferunt, *Adolphum* solum muneribus & pecunia pacta expletum, nihil ex illis ad proceres Imperii pervenisse, perinde quasi hanc pecuniæ partitionem Rex *Eduardus* præcepisset. Ergo *Adolphus* nihil contra Imperii majestatem, nihil contra decus ac gloriam patriæ commisisset, dummodo illos in communionem accepti stipendii adsumisisset, neque exclusis

(q) Dicitur ideo der Pfaffen König. *Serarius* Rer. Mogunt. L. xxii. p. 847.

(r) Ita scribit auctor Magni Chron. Belgici ad a. 1292. p. 271. Cum vero negligentius se ad principes, qui eum in culmen tanti honoris evexerant, gereret, consilia eorum postponens, & militaris ordinis homines eis proponens, in odium eorum incurrit. Unde *Gerhardus* Moguntinus, & ceteri Nobiles superiorum partium, indignatione commoti, illustrem Ducem Auftriæ, nomine *Albertum*, filium quondam Regis *Rudolphi* evocaverunt, ut regnum obtineret. *Albertus* Argent. p. 110. Dixerat enim Dux (*Albertus*) si Dominus Romanorum Rex stipendiarius est Anglici factus, & ego minore dedecore stipendiarius ero Franci. conf. *Mutius* l. c. *Gundling*. l. c. p. 97. seqq.





clusis septemviris tantum auri pondus sibi soli servasset. Igitur quod harum rerum nullum erat apertum crimen, illos non puduit de innocente Principe vanis suspicionibus judicare, ut in hoc invidia, quod efficere possit, videatur experta. (s)

Interea Rex omnibus rebus, quæ ad sædus Anglicum pertinebant, paratis, videbatur ante exitum anni fortunam belli tentaturus, & statuisse cum Rege Galliarum quam primum confligere. Is enim, quod infra argumentis docebimus, pergebat in terras Rheno inferiori adjacentes, ubi illius copiarum, sicuti præceperat, conveniebant. Exercitum ejus fuisse numero amplissimum, bene instructum, ex hominibus varii generis collectum, omnes consentiunt. Qui igitur eo majorem terrorem Philippo pulchro injiciebat, quo certius ille animo providebat, Germania Principes, si Adolpho visum fuerit, ad hujusmodi bellum, ad Imperium spectans, copias conjuncturos esse suas. Hanc ob causam Eduardus etiam in aliis regionibus nihil omisit, quod ad augenda auxilia pertineret, multos Comites & Nobiles, sicut Comitem Flandriæ & de Barr sibi adjungens. (t)

Per idem tempus Dux Lotharingiæ suspectus erat Nassoviæ, cum audiret, Regem Galliarum studere illum adducere, ut a partibus suis stare. Hinc causas justæ belli contra Regem Gallorum memorans, dedit operam, ut potius Eduardi, ac Imperii, quam Gallorum faveret partibus, iisdem præmiis victoriæ, quæ Adolphus expectaret, diligenter propositis. (u)

Postea vero quam Rex Galliarum, Philippus pulcher audivit, Adolphum & Eduardum in terris suis magnam manum comparare, sibi que bellum facere conari, in eo mens ejus tota versata fuit, ne se hostes sui imparatum imprudentemque offenderent. Quam ob causam nonnulli ad societatem periculi perducebantur: in quibus fuit Henricus, Dux Luxemburgensis, auxilia sua contra Regem Galliarum pollicitus, ea tamen conditione, ut contra Regem Adolphum, aliosque, copias suas ducere non cogeretur. (x)

Etsi igitur jam in eo erat, ut in Galliam fieret impetus, tamen hoc bellum in aliud tempus differre utrisque Regibus visum est. Interim Rex Adolphus cum magno exercitu Thuringiam intravit. Sed de hac re alio tempore uberius dicemus.

(s) Ad causas excusationis hujus fœderis, quod alii vituperant, colligendas, ablegabo benevolos lectores ad Gundlingii Observ. IV. de Adolpho Nassovio Imper. injuste deposito. l. c. p. 112. unde hæc fere plurima bona fide exscripsi.

(t) Steveroniæ annal. ad a. 1294. p. 576.

(u) Martene Thes. nov. anecd. T. I. p. 1270.

(x) Lunig. Cod. Germ. dipl. T. II. p. 1617.



Cæterum PATRONOS, atque rei scholasticæ AMATORES  
etiam atque etiam rogamus, ut ad SOLEMNIA nostra be-  
nevole confluant. Præter EXAMEN ante meridiem insti-  
tuendum,

HORA II. POMERIDIAMA

I.) Ex Classe prima bonarum artium cultores declamaturi sunt:

- 1) Jo. Franciscus OTTO, Rhoda-Vilnanus Nass. de *vindicta detestabili*. Lat.
- 2) Jo. Wilhelm. Theod. OTTO, Idsteinensis, de *cognitione sui ipsius commendanda*. Germ.
- 3) Jo. Jacob. TOUBY, Kirberga-Nass. de *ingenua conversationis impedimentis*. Gall.
- 4) Jo. Gottfrid. KOLB, Seelbaco inferiori-Nass. de *officio Deum colendi*. Carm. German.
- 5) Jo. Balthasar. BLEICHENBACH, Cronberga-Moguntinus, de *facinorosis sibi inimicissimis*. Germ. valed.
- 6) Leonhard. Stephanus HERBER, Langenschwalbaco-Hassus, de *gaudiis juvenum innocuis*. Carm. Lat.
- 7) Tobias Casimir. HASENKAMPEFF, Fano-St. Goaris-Hassus, de *temperantia laudabili*. Germ.

II.) Ex Classe secunda de gaudiis juvenum noxiis sermocinabuntur:

- 1) Carolus Gottlieb. DIEFFENBACH, Moosa inferiori-Ritteselianus.
- 2) Jo. Auguf. Wilhelm. TOUBY, Kirberga-Nass.
- 3) Jul. Ludov. Ernest. STEIN, Wisbadenſis.
- 4) Jo. Nicolaus WALDSCHMIDT, Manhemio-Palatinus.
- 5) Jo. Georg Wilhelm. SEYBERTH, Idsteinensis.
- 6) Maximilian. Christian. Frideric. STIEHL, Strinza trinitatis-Nass.

III.) Ex Classe tertia & quarta inter se different de Marco Aurelio Antonino, etiam Cesare Scholam frequentante:

- 1) Jo. Sebastian. LEIXENRING, Wezlarſenſis.
- 2) Fridericus Carol. Samuel Gottlob LEHR, Schweighuſenſis.
- 3) Jo. Theod. Franciscus Anton. de St. GEORGEN, Idſteinenſis.
- 4) Ludovicus Christian. VIGELIUS, Wisbadenſis.
- 5) Bernhard. Jacob. EYSEN, Francofurtensis.



No 1627. g


KO78


ULB Halle

3

006 305 962







B.I.G.


Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

SCHEDIASMA TERTIUM  
DE VITA

ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORUM,

A. MCCXCIV. USQUE AD BELLUM THURINGICUM



QUO  
AD L U S T R A T I O N E M  
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S E M  
A U T U M N A L E M,

D. IX. MENSIS SEPTEMBRIS, A. R. S. cld Io cc LXXVI.

INSTITUENDAM,

PATRONOS, FAUTORES,


ATQUE

AMICOS LITTERARUM,

QUA PAR EST OBSERVANTIA ATQUE HUMANITATE

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,  
GYMNASII RECTOR.



WISBADII,  
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.